



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

XXXVII. Urbs Haia ab Hebræus excisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

uros; sed tua gloria, tuus honor vindicandus ab
 opprobrijs, & ludibrijs gentium. Quis enim te
 colet; tibi quis genua ponet, adolebit thura, pa-
 trabit Sacrificia, si perdis eos, quos tuis Sacris im-
 buisti; tuo Cultui consecrafti? Quodd si nostrum
 supplicium merentur scelera; Magnum certè No-
 men tuum non meretur ignominiosè traduci, &
 conculcari; huic consule, hoc tuere. Hæc ille.
 Nec cassæ fuere preces. Responsum enim ab Ora-
 culo accepit, surgeret, Sacrilegio pollutum exerci-
 tum lustraret: præsentis calamitatis causam esse,
 religionem violatam. Itaque recurritur ad sortes;
 nomina Tribuum per familias & domos jaciuntur in
 urnam; deprehenditur rea tribus Judæ; & in ea, fa-
 milia *Zabdi*; in hac *Achan*, occultò furtò devinctus.
 Hic quâ sorte; quâ suamet confessione convictus,
 cum locum ostendisset in tentorio, ubi Sacrilegam
 prædam defoderat, jussu Numinis, & Josuæ; duci-
 tur in vallem *Achozem*, ab universo populo; tanquam
 catharma & communis perniciës lapidibus obrui-
 tur; deinde in rogam conjectus, cum uxore liberis,
 omni suppellectile, gregibusque comburitur, DEO,
 absoluto vitæ necisque Domino, etiam innocentum
 morte in scelus unius, ad aliorum terrorem, & exem-
 plum sæviente.

NARRATIO XXXVII.
 VRBS HAJA AB HEB-
 RÆIS EXCISA.

Josue 8. Anno Mundi 2584. Ante
 Christum 1469.

Dies

Dies aderat, qua *Haita* quoque, recenti victoriâ insolentiores, ultrici Nemesei poenas darent. Josue Numinis Oraculo de ratione urbis capiendæ commonefactus, didicit hostem industriâ magis & arte, quàm viribus esse vincendum. Id hunc in modum contigit. Ex omni Hebræorum exercitu triginta millia fortissimorum virorum delecta, Josue adversus *Haiam* ducit præmissis quinque millibus, qui non procul urbe locum caperent insidijs; se quippe prolecturum oppidanos in certamen; illisque fugæ simulatione longius à moenibus, abstractis, suis daturum urbis invadendæ spatium; quam ubi occupâssent, indicium facerent fumô altiùs excitatô; ipsum cum reliquo exercitu post jura montium subsessurum, ne hostium audaciam reprimeret conspecta obsidentium multitudo. Successit è sententia strategema *Haitæ* contempta Hebræorum paucitate, erumpunt ex urbe; fugam simulant Israëlitæ; instant illi magnis clamoribus; & tanquam in manu gestarent victoriam, non tam ad periculum, quàm ad cædem & prædam evocant, quotquot armati tenebant urbem præsiidiô. Quæ res ubi Josuen advertit, sublato in altum clypeô, dat signum suis, quos diximus, quinque millium numerô proximè urbem in insidijs collocatos, ut per neglectas portas, in vacuum Defensoribus oppidum, irrumpant. Illi ex ea parte, quæ ab hostili milite aversa sese urbi insundunt; atque ut jussi erant ædibus igne succentis, latè fumum spargunt. Tum verò Josue in hostem persequentem conversus, omnia permiscet cædibus; Simulque, qui ceperant urbem à tergo coor-

ti, undique cinctos, impunè trucidant, ne unò quidem suorum desideratò, hostium nullò, ne *stragis* quidem nuntio relicto. Quâ clade editâ, victor miles in urbem irrumpit; nulli ætati nec sexui parcit [duodecim millia cæsa traduntur] locumque flammis vastatum; æquat solo; rege in furcâ additò. Jumentorum, pecorum, & auri præda dives egesta, militi, tum qui præsens dimicaverat; tum qui iussus ad castra *Galgala* remanserat, universa permittitur; nec ut in Jerichuntis excisione, ferrò flammisve corrumpitur. Captis exinde montibus *Hebale* & *Garizi*, nihil habuit antiquius Imperator, quam ut in *Hebale*, arâ Numini dedicatâ, victimas immolaret, inque lapidibus Lege Decalogi perscriptâ veterem Religionem novo fædere Sanciret cum DEO. Nam sine pietate nullum est pondus armis; & qui victoriam religione coronat, auspiciis novis triumphis præmittit.

NARRATIO. XXXVIII.
GABAONITÆ FOEDUS AB HEBRÆIS DOLOSE IMPETRANT. Josue 9. Anno Mundi 2584. Ante Ch. 1469.

Rectè Seneca: & omnibus, inquit, & nemini credere, vitium est. Alterum honestius dixerim vitium, alterum tutius. Jerichuntinorum & Haitarum clades latè rumore nuntio propagata, ingentem ubique terrorem sparsit. Itaque